



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...**

... De Excellentissimis Jesu Christi Dei-Hominis

**Louis François <d'Argentan>**

**Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1723**

**VD18 80217931**

Consultatio XX. Jesus Christus prædicans, Divina sua lumina diffundit in mundo, quæ ipsius demonstrat Divinitatem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45509**

solo omnem tuam gloriam essentialem & internam; & ipse recipit à te solo omnem suam gloriam accidentalem & externam: Tu glorificaris ab illo, & ille glorificatur à te; gloria hæc est reciproca, una pro aliâ. Quam sublime commercium! quam admiranda reciprocatio gloriæ inter duas hæc divinas Personas, repleta gaudio in totam æternitatem omnes sanctos in cælo, quæque solido esse de-

beat solatio cunctis bonis animabus in terris? Quanto demulceor gaudio in corde meo, ô mi amabilissime Jesu, ex eo, quod ita glorifices Patrem tuum cœlestem & meum! Non est infirmitatis meæ ipsi reddere eam, quam deberem & vellem gloriam; sed tu glorifica ipsum pro me, & ego glorificabo illum per te in æviterna sæcula.

## CONSULTATIO XX.

*Jesus Christus Prædicans, Divina sua lumina Diffundit in mundo, quæ ipsius demonstrant Divinitatem.*

**T**Antæ insolentiæ ac temeritatis reperire est animos, ut omnem mundi sapientiam suis inclusam verticibus circumferre se putent; persuasi se omniscios de cunctis instituunt sermonem, omnia suâ perstringunt censurâ, dumque aliud non agunt, nisi quod ambitiosius suam ostentant sapientiam, reipsâ suæ ostendunt testimonium ignorantia & fatuitatis.

Bonum exercitium tempore itinere

Horum unus, nomine Onesimus, occurrit nobis, dum brevem parabamus instituere recollectionem, ad exigendum ho-

ram in silentio & interiori cum Deo colloquio, juxta legem, quam ipsimet injunxeramus nobis, quamque inviolabiliter observare nobis erat animus, toto nostro tam in longum protracto itinere, duo saltem indies observando interstitia ad relaxandum nostrum animum, concedendo ipsi quietem in Deo, vero centro suo. Quamvis enim sæpius colloqueremur de Deo: nihilominus tota alia res est, loqui cum hominibus de Deo, quam loqui ipsimet Deo, & ipsum animabus audire loquentem.

Nnnn 3

Ipsè

Ipse, uti videbatur, nec unius nec alterius notitiam habebat: siquidem cum nos interrogasset, quid ageremus, respondimus ipsi, nostrum nos abrupte colloquium, ut ambo loqueremur Deo in secreto. Sed neutiquam id capiebat, eo quod nullum illi haberet usum. Et ideo, quantum colloquium concernit, loquebatur de eo absurdissime, quasi de omni re alia, quin faceret ullum inter hæc discrimen: Unde accensus zelo bonus noster Ecclesiasticus, obsecrare ipsi volans os, eximium illud S. Gregorii Nazianzeni protulit effatum: Difficillimum nobis est, loqui de Deo, quemcunque adhibeamus conatum, ut loquamur de eo, omni cum reverentiâ nobis possibili. Quam enim ratione? Ipse est ens infinitum, & nos parvi sumus atomi; Ipse infinita ratione est supra nos, & consequenter supra cognitionem nostram: certissimi igitur sumus, nihil esse id omne, quod de eo vel dicere, vel cogitare possumus.

Naz. orat. in hæc verba: Cum consummasset Jesus,

Quomodo impossibile nobis sit, loqui dignè de Deo.

Et dein ipse purus est spiritus, & nobis opus est corporalibus uti verbis, ad exprimendum abjectos & rudes nostros conceptus; & nos credimus, hoc esse loqui de Deo. Non, hoc non est loqui de ipso; nostris ipsum delineare & depingere verbis; est potius ipsum deformare, ip-

sum inhonorare, & ipsum ratione quadam onerare injuriis: obtrectantis fortasse fuerit & lapidantis. Nisi nostræ condoleret infirmitati, nostræque excusaret innocentiae intentionem, quæ honorare desiderat ipsum, dum de ipso loquimur, putare se posse offensum. Videtur nos nunquam magis congruè loqui de eo, quam dum asserimus, ipsum esse ineffabilem.

Nihilominus replicat Onesimus, quando ita de ipso loquimur pejus quam unquam loquimur de ipso; manifestam enim involvimus hisce verbis contradictionem. Dicimus, quod fieri non possint de ipso verba, & verba de ipso facimus: dicimus nihil dici de ipso posse, & tamen aliquid de ipso dicimus, dum fatemur, ipsum esse ineffabilem. Quæ verborum inter se pugna, quæ oppositio, quæ luculentam ostendit falsitatem in hoc, quod credamus verissimum quid dicere de Deo, dum nostra explicat lingua, quod intellectus noster æstimat inexplicabile!

Verum est, dixi ipsi, non nisi pugnam verborum & contradictionem esse, quam argute admodum observasti, dum lingua mendacii arguit intellectum, & intellectus falsitatis convincit linguam. Sed quid agendum, ut tollatur contradictio & cesset verborum pugna? Hoc non  
crit

Dicere, quod Deus sit ineffabilis, est sibi contradicere,

Silentium lo-  
quitur dignè  
de Deo &  
Deo.

erit prosequendo de ipso sermo-  
nem, sed erit, si tacuerimus de  
ipso: omnia reconciliata erunt,  
si profundum custodiamus silen-  
tium. Sine nos id agere, quòd  
incepimus: loquemur Deo sinè  
verbis, & absque cogitatione  
cogitabimus de eo, id est, ci-  
tra id, quòd formemus nobis  
aliquam de ipso idæam vel ima-  
ginem, de quâ dicere possumus:  
Deus verè est id, quòd cogita-  
mus Deus pari ratione est ines-  
cabilis nostræ linguæ & incom-  
prehensibilis nostro intellectui.  
Æqualis igitur temeritatis est, si  
credamus, nos dignè loqui de  
ipso, nobisque persuadeamus,  
nos dignè de ipso cogitare. Si-  
lentium verborum nostrorum  
magis honorat ipsum omni no-  
stro discursu, & cogitationum  
nostrarum silentium majori quo-  
quæ ipsum afficit honore, quam  
omnis intellectûs nostri contem-  
tio, quam possumus impendere  
ad comprehendendum ipsum.  
Docta est ignorantia de Deo,  
quæ transgreditur pulcherrimas  
quasque cognitiones, quas com-  
parare nobis de eo possumus la-  
bore nostro, labente hâc vitâ.  
Volebam per hoc obstringere  
ipsum, ut recederet, nosque si-  
neret nostræ vacare orationi.

Sed hæc omnia, quæ non ca-  
piebat, cohibere non poterant  
accensum ipsius loquendi desi-  
derium. Subaspere igitur re-

spondet: Cum credatis, Deum  
ita honorari silentio, & inhono-  
rari ac despici verbis, haud pa-  
rum admiror, vos silentium non  
indicere cunctis prædicatoribus  
vestris, qui absque intermissio-  
ne palam loquuntur de Deo:  
Credo sanè, vos maximum præ-  
stituros obsequium tam Deo,  
quàm mundo. Inprimis Deo;  
cum verum sit, ipsos ferè omnes  
loqui de ipso tam abjectè, ut ex  
eo displiceant ipsi, magisque  
despiciant illum, quàm laudent:  
sed præcipuè maximâ eximetis  
mundum difficultate ac mole-  
stiâ; siquidem iudicio meo nil  
magis molestum accedit homi-  
nibus, quàm obligatos esse per  
horam integram aures præbere  
homini, & sæpius loquenti de  
rebus, quæ tædium ingerunt,  
cum tamen non regerere liceat  
ipsis vel verbulum unicum.

Fateor, me nonnisi rarissimè  
concionem frequentare: nihilo-  
minus ignoro, quæ me ubivis  
prosequatur fors mala: vix sa-  
luto templi limina conspiciens  
concionatorem in pulpito, jam  
mœrore conficior, & præ ango-  
re palpito. O Deus! quantis  
obruor tædiis! ejusmodi enim  
homines vivere non videntur,  
nisi ut mundum totum impleant  
querimoniis, & miris discrucient  
conscientiam tormentis; inve-  
niunt ubivis, cui contraveniant,  
& ubi nulla sunt, peccata suo  
effin-

Libertini ab-  
horrent Ver-  
bum Dei,  
quòd signum  
est reprobationis.

effingunt arbitrio; & quando pavorem inculsere gravi quadam comminatione populis, triumphasse se putant; sed prudentiores terreri se non sinunt strepitu. Qui crederet illis, nec unius horæ gaudio, toto frueretur vitæ suæ curriculo.

Eja quæso, ne ita strepites inquit ipsi pius noster Ecclesiasticus, ut ipsius abrumperet discursum, qui magnam redolebat liberioris vitæ licentiam & quidvis agendi libidinem, nec leviorrem impietatem. An probè nōsti, quid dicas? Nonnè cernis, te manifestam propalare tuæ reprobationis notam? an ignoras scriptum esse in Evangelio: *Qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Et alibi: *Oves mea vocem meam audiunt.* Totum Evangelium ejusmodi scatet verbis, quæ percellere te metu deberent, ne ingens illud fastidium & contemptus, quo prosequeris Verbum DEI, sit iudicium, te non enteri cætui prædestinato-

1.  
Aliis hæc dicas, inquit hic vir, feroci plenus indignatione: dicenda forent similia simplici-

bus, ut allicerentur ad frequentandam turmatim concionem, quam falsò affirmatis esse Verbum Dei. Fateor equidem, Non audient concionem velut Verbum DEI Verbum Dei omni dignum esse se veneratione; sed auscultare hominem, qui è pulpito per horam declamet, mihi que proprios suos enuntiet conceptus & fœtus animi; an ignorem, id Verbum Dei non esse? Nuncupo id Verbum Dei, quòd è proprio Dei depromitur ore, & non ex ore alicujus deblateratur, ebuccinaturque hominis. Reponit ad hoc Ecclesiasticus, commiseratione ipsius tactus ignorantia. Est tibi quidem aliqua scintilla luminis, dum Verbum Dei non habes in postremis; sed magnâ adhuc offunderis caligine, dum non agnoscis illud enuntiatum prædicatorum ex ore. Ausculta id quæso, quòd tuos tibi dissipabit errores, multumque, uti spero, tibi afferet consolationis, dum admirandos perspicias splendores, quos diffundit verum Verbum Dei, quod JESUS CHRISTUS afferre nobis venit in terram.

Joan. 8.  
v. 47.

Joan. 10.  
v. 16.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Origo & progressus Verbi DEI.

ARTICULUS I.

SI videre voles Verbum DEI in suo principio, sanctus Joannes Evangelistarum aquila, ostendit tibi illud in sui exordio Evangelii: *In principio erat Verbum.* Verbum æternum solum est verum Verbum Dei: Hoc Verbum est in sinu Patris sui æterni velut in suo principio; ipse solus enuntiavit illud. Ipse solus ergo est magnus per Antonomasiam Prædicator, Magister, Doctor, exemplar omnium aliorum Prædicatorum, qui loquuntur post ipsum, & aliud effari nesciunt, nisi adorandum illud, quod ipse primus enuntiavit, Verbum.

Quantum prodigium, contemplari æternum hunc Prædicatorem, qui non profert nisi unicum simplicissimum verbum, idque alterâ non repetit vice! Ipse solus est, qui non mutuavit conceptus ab alio: sed ipsemet concipit cogitationem unam infinitâ ratione magnam & infinitâ ratione perfectam, quam exprimit unico simplici verbo, quod perfectissimè id totum, quod concipit, enuntiat. Nunquam incipit, & nunquam desinet magnum hoc enuntiare Verbum; ita ut æter-

nus sit ipse Prædicator, qui nunquam vel unico cesset momento annuntiare Verbum DEI. Non habet auditores prædicationis suæ, nisi tres divinas Personas, ipsæ solæ perfectissimè ipsum auscultant, & per ipsas ipsæ omnia cognoscunt de Deo, & sine ipsis ipsæ nihil nôrunt de Deo.

Quàm ingens ipsis consolatio, nunquam non stupendam hanc auscultare prædicationem, quæ nonnisi in unico consistit verbo, ita ad hanc suum appellant animum, ut nec unico divelli ab ea possint instanti; infinitam autem in ipsâ inveniunt voluptatem, quâ suspensione æternâ tenentur abreptæ, intuendo infinitas, quas ipsis ostendit, pulchritudines; & ingens splendor, quem æternus hic Prædicator effundit in totum conclave Divinitatis, nunquam est absque igne prorsus divino, quem suâ producit luce, amorem nimirum æternum & infinitâ ratione perfectum, qui velut prædicationis ipsius est fructus; & omnes auditores infinitâ potiuntur oblectatione, prorsus repleti gaudio, & in perfectâ quiescunt possessione Dei, omnem

Prædicatur  
perpetuò in  
conclavi Tri-  
nitatis.

○○○○

nem

Joan. 1.

Principium  
æternum Ver-  
bi DEI.

Deus Pater  
est solus Præ-  
dicator æter-  
nus.

nem suam constituente beatitudinem. Ecce tibi totum sanctissimæ Trinitatis in omnem æternitatem negotium: prædicatur hic Verbum Dei, auditur, cognoscitur hic perfectè per illud, & amatur infinità ratione Deus, per amorem, qui ab illo in totam diffunditur audientium coronam. Si comprehendere hoc posses, quod infinità ratione omnem nostrum transcendit captum, cognosceres perfectè, quid in suo principio sit Verbum Dei, & profundà id addisceres prosequi veneratione.

Speramus,  
nos futuros  
aliquandò au-  
ditores Verbi  
æterni in cœ-  
lo.

Onesimus percitus admiratione ex proposità sibi ob oculos magnà hæc Verbi Dei idæâ, velut ardenti abreptus desiderio exclamavit: O quam lubens hæc ratione auscultarem Verbum Dei! Certus sum, me nullo fore exin afficiendum tædio. Audi, reponit Ecclesiasticus, non nostra hæc fors est infelicitium mortalium: speramus quidem auspiciatâ hæc sorte frui, dum ingredi licebit nobis templum gloriæ, in quo stupenda hæc prædicatio cessabit nunquam; sed expectans bene ominatum hoc momentum, aspice & admirare infinitam Dei erga nos bonitatem, dum ex integro noluit nos privari divini sui auscultatione Verbi. Ecce quare id miserit nobis è cœlo in terram, ut ipsummet hoc Verbum, per quòd

cognoscit omnia, in Persona veniret ad docendum nos pulcherrima Divinitatis arcana, nosque infiniti redderet consortes gaudii, in quo ipsemet omnem suam invenit beatitudinem.

Sed quia, si Verbum hoc æternum locutum fuisset nobis eadem ratione, quâ loquitur in Divinitate, non potuissimus intelligere ipsum, voluit, ut sese nostræ accommodaret infirmitati, aliud indueret vestimentum, in aliam se transformaret imaginem, & humanam assumeret carnem. An vides admirabilem hanc obsequendi promptitudinem? Noluit, ut indueret naturam lapidis, vel naturam Angeli: utrumque facere potuisset, cum Verbum æquali ratione unire se posset unicuique individuo naturæ, sive corporalis, sive spiritualis. Sed unum fuisset nimis insensibile, nimisque durum pro nobis, & alterum pro nobis nimis sublimè, & plus æquo spirituale. Ut ergo suo nos doceret exemplo, quâ ratione velit Dei Verbum annuntiari hominibus, quandam elegit mediocritatem, quæ nostræ esset proportionata infirmitati, incarnatus & homo factus est, & apparere vult in medio, velut unus inter nos. O infinita bonitas, quàm es amabilis! quòd ita te accommodes infirmitati miserabilium mortalium!

Ubi.

Quomodo  
Deus nobis  
mittat Divi-  
num suum  
Verbum in  
terras.

Verbum In-  
carnatur, ut  
instruat Præ-  
dicatores.

Uisum est Verbum Dei, antequam au- dicitur.

Ubi primū Verbum hoc æ- ternum, adorandum hoc Patris Verbum apparuit in mundo, carne indutum mortali, Pasto- res ab Angelis cœlestibus admo- niti, dixerant ad invicem: *Ea- mus & videamus hoc Verbum quod factum est, & Dominus ostendit no- bis.* Uisum est igitur Verbum Dei longo tempore prius, quā audiretur; Et ii, qui videbant Infantem JESUM recens natum, dicere poterant: Ecce Verbum Dei, intueor illud corporalibus meis oculis, meis id tangere possum manibus: Ecce tibi uni- cum Verbum Dei, quod pri- mus omnium Prædicator pro- nuntiavit in æternitate. Sed quantum prodigium, quod uni- cum hoc Verbum Patris, cui facultas non erat loquendi in æternitate, eodē Verbum pro- ducere non poterat secundum Verbum, eo nomine venerit è cœlo in terram, ut loqueretur nosque doceret in tempore subli- mes æternitatis veritates.

Quantum prodigium fuerat, quan- do JESUS Christus præ- dicabat; tunc Verbum pro- dignebat Ver- bum.

Quando JESUS CHRISTUS ipse- met prædicabat, erat is Verbum qui suis è labiis producebat Ver- bum, illudque sensibili indue- bat voce; ad exponendum id auribus, sicut Beatissima Virgo induerat illud carne humanā, ad exponendum id oculis; erat is Verbum Dei in Persona, quod prædicabat Verbum Dei; non dubitasset, quin audientes illum

verè audirent Verbum Dei. Jam is replet animam Apostolorum suorum eodem hoc verbo, & mirā familiaritate cum ipsis a- gens, dixit ad illos: *Jam non di- cam vos servos, quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus: Vos autem dixi amicos, quia omnia quacūque audi- à Patre meo, nota feci vobis.* Exin- de communicat illis facultatem idipsum communicandi aliis: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, id est, ad annuntiandum Verbum Dei in mundo. Ite, prædicate Evangelium omni creatura: Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit; & qui me sper- nit, spernit eum, qui misit me.* Non dubitasset similiter, quin ii, qui audiebant Apostolos, audirent verè Verbum Dei, quo pleni erant, quodque ex ore suo de- promebant.

Joan. 15.

Luc. 10.

Hi replerunt alios eodem verbo, quos etiam miserunt eā- dem ratione, ad annuntiandum Verbum Dei, & hi eodem alios repleverunt & miserunt alios. Sic successivè idem Verbum Dei deportatum fuit ex ore in ora per cuncta sæcula usque ad nos; & omnes quibus fors ob- tigit, ut mitterentur & essent prædicatores dicere eadem de- buerunt verba, quæ JESUS CHRIS- tus dixit primus: *Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me;* id est, ego aliud non facio, nisi quod dicam denuò, quod di-

Quomodo verum Ver- bum Dei de- portatum fue- rit à sæculo in sæculum.

Joan. 9.

modò nobis Divi sum am is

m In- ur, ut Præ- ces





Etum fuerat mihi (vide, quàm magnus sit abusus, amare novitates, & dicere non velle alia, nisi proprii ingenii sui figmenta) & de omnibus etiam dicit Iesus Christus eadem verba, quæ dixit de Apostolis: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit; & qui spernit me, spernit eum, qui misit me.* Ecce tibi originem, progressum, perpetuitatem veri Verbi Dei: Suum id habet principium in æternitate, in nostra ex æternitate suâ profectum & digressum est tempora, & ipsum venit ad docendum & instruendum nos in Persona; & exin nunquam non eadem nos illustravit luce, per plura annuntiarum se faciens ora, per cuncta sæculorum intervalla, absque eo, quòd aliquid suæ perderet puritatis, tum Majestatis; est & manet idem lumen, quod plures successivè accendit faculas, quæ omnes vobis non tribuunt aliud, nisi quod acceperant à primâ.

Judicio tuo, dicit Onesimus, ergò semper esset Iesus Christus, qui prædicaret per omnium ora Prædicatorum; ipse igitur semper esset, qui effunderet per universum orbem, & per cuncta facula, eandem hanc æternam lucem, quam attulit nobis è cælo; hæcque semper nobis aspicienda foret in omnibus, qui nobis prædicant, hique audien-

di, ac si ipsemet prædicaret nobis, procul dubio, respondit Ecclesiasticus: Nonnè enim dicit sanctus Joannes, quòd ipse sit *vera lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum?* Et ipsemet nonnè dicit prædicatoribus suis: *Qui vos audit me audit, qui vos spernit, me spernit?* Quare hoc dicit, nisi quia idem est audire ipsum & audire illos, eòquòd idem sit Verbum Dei, & eadem æterna veritas, quæ proficiscitur ex ore suo & ore illorum, quæque ubivis omnem meretur venerationem.

Deberent igitur ex ipso solo haurire ea omnia, quæ dicunt nobis, & aliud non agere, nisi repetere ea, quæ dixit nobis ipse, velut Echo, quæ nunquam dicit aliquid ex seipsâ, & aliud non agit, nisi quod eandem ad se missa remittat verba. Fateor, inquit Ecclesiasticus, omnes veros Prædicatores Evangelicæ veritatis esse deceret fidelem Echo Jesu Christi, & nobis solum proferre ea, quæ receperunt ab ipso, sicut ipse illa solum protulit ipsis, quæ acceperat à Deo Patre suo. O si omnes Prædicatores unicam suam, vel saltem præcipuam navarent operam, ut studerent & omnem suum intenderent animum Jesu Christo; si haurirent ex eo id, quòd communicare vellent aliis; si omnino pleni essent ipso, ipsiusque divi-

Joan. 1.

Semper Iesus  
Christus est,  
per ora om-  
nium Prædi-  
catorum,Omnes Præ-  
dicatos debe-  
rent esse non  
nisi echo Je-  
su Christi.

divino spiritu, repleantur ipsi quod eodem omnes alios, & brevi videretur, totum mundum verè fore Christianum: audirentur ipsi, velut ipsemet Jesus Christus, & maximè afficerentur reverentiâ, velut adoranda ipsius persona, eò quòd haberentur cum ipso velut veri Salvatores animarum. Sed Eheu! exin obmutuit, fecitque finem magno cum suspirio.

Quid innuere vis per tuum Eheu! reponit Onesimus? an voles omnes Prædicatores aliud non dicere, nisi quod inveniunt in Evangelio, vel alio Bibliorum codice? ô quàm hoc esset abjectum! Oportet enim verò quid aliud adjicere ad illustrandum & locuplerandum suum discursum. Nonne ostendere ipsis liceat suæ quidquam eruditioris, aut politioris, quàm pollent, literaturæ? an congruo loco immiscere non liceat aliquid historię, vel antiquitatis profanæ? an non quandoque scitam aliquam & concinnam afferre descriptionem? an si inveniunt in apologis quidpiam vel dictum acutè, vel fictum argutè, id intactum relinquunt, nec in suum suo tempore convertant usum? vix credas, quantum concinnitatis ejusmodi sales conferant discursui. Et dein an prætereant, quidquid acuminis tenet Philosophus,

quidquid arcani possidet Astrologus, quidquid problematis tradit Mathematicus, ut divinandum quid suis relinquunt auditoribus, illòsque majori attentione teneant defixos; vidi non paucos, quibus non displicuere Æsopi fabulæ, in quibus invenere scitissima quæque. Et similia haud parùm oblectant acuta ingenia, ac virtute pollent magneticâ trahendi post se illustrium virorum coronam: certè enim, si nonnisi, quæ complectitur Evangelium, producerent in medium, alios haud numerarent, nisi commune vulgus, auditores; quibus quidquid obiter dicas, facile eorum inveniatis approbationem; sed viri doctrinâ exculti requirunt alia, quæ suo prosequantur applausu.

Nimis quàm verum est, reponit Ecclesiasticus; & hoc ipsum meum mihi expressit Eheu, meique doloris est ansa. Quibus incumberet prædicare verbum Dei, nonnisi declamant verba Poëtarum, Historiographorum, Philosophorum, aliorumque profanorum, quasi mens illis non esset agere Christianos, sed idololatrias; non alium sibi præfigunt scopum, nisi ut curiositati & vanitati satisfaciant animorum, pro eo, quòd oppugnare deberent illam & delere funditus velut lethalem Spiritus Jesu Christi, qui nonnisi hu-

O o o o 3

Abusus eorum, qui prædicant alia, quàm Verbum Dei,

Plures Prædicatores deturpant Verbum Dei; & quomodo,

Joan. 1,

per Jesus Christus est, prædicant ora omnia Prædicatum,

Prædicatores debent esse non Echo Jesu Christi.

humilitas est & veritas, hostem & adversariam. Inveniunt humile & complanatum esse Evangelium, & elevare splendoremque illi adjicere volunt rebus profanis & fabulis, velut qui pretiosum adamantem circumducere vellet luto, ad majorem conciliandum illi nitorem, valorem, decorem. O Verbum æternum, quod splendor es gloriæ Dei Patris tui! O Verbum omnipotens, quod universæ curiæ cœlestis tua ex pulchritudine es oblectamentum! an ita aspersionentur, teque contemnunt homines? O quàm luculenter perstringit oculos veritas verborum magni Apostoli! *Seipsum exinanivit.* Exinanivisti te, ô Verbum adorandum! sed & perpetuo adhuc exinaniris pro nostra salute: quando nascentem te video in stabulo, & collocatum super paleas, simumque animalium, valde te invenio exinanitum: sed quando te video super pulpita involutum fabulis & curiositatibus vanis, cogitationibus profanis, magis adhuc exinanitum te invenio: & quod magis detestandum est, applauditur illis, qui tam indignè te excipiunt, & illi ipsi de eo abblatuntur sibi. O crudelem persecutionem Verbi Dei! O sacrilegam profanationem ejus, quod in mundo possidemus sanctissimum! quando tandem horri

Philip. 2.

erit tibi injuria, quam inferis Deo, & crudelitas, quæ debaccharis in animas?

Nimis, quàm abriperis, mi Domine, longiusque digrederis; non profanatur Verbum Dei, si eidem inseratur quidquam profani. Nonne ipsemet id fecit sanctus Apostolus Paulus, annuntians illud Athenis in præsentia cunctorum Sapientum Areopagi? non dedecoratur Verbum Dei, si decor eidem addatur quibusvis eloquentiæ phaleris. Omnes sancti Ecclesiæ Patres, nonne fructuose adhibuerunt easdem? Quid splendidius, quid magnificentius eloquentiâ Leonis Papæ? quid suavius illâ sancti Ambrosii, sanctique Bernardi? quid magis masculinum, magisque heroicum illâ Sanctorum Cypriani, Basilii, Hieronymi, & Gregorii de Nazianzo? quid magis floridum illâ S. Petri Chrysologi? quid magis sublime illâ sancti Augustini? quid delectabilius illâ S. Joannis Chrysostomi, qui os fuit aureum totius Ecclesiæ Orientalis? & dein, ut verum fatear, Evangelium juxta stylum suum, est velut adamas impositus & scaber, nullum diffundens splendorem, nisi expoliatur. Credunt quidem universi, thesaurum esse magni valoris, quem possidemus in Verbo Dei; sed absconditus est sub specie satis vili; oportet habere

clavem

clavem ad recipiendum illum, illisque demonstrandum pulchritudines, quæ non apparent, nisi demonstrantur. Nonne & ipse fateberis, quod ad concilandum valorem verbo Dei, opus sit prædicatoribus, quendam suâ arte adjicere splendorem ?

Quomodò adhiberi possit eloquentia, & omnis generis ornamenta in concione, abs eo, quod profanetur Verbum Dei.

Novi optimè, inquit ad hæc Ecclesiasticus, nihil negligendum esse ex omni eo, quod conferre potest ad excolendum Verbum Dei, illiusque illustrandum honorem; nam cum ipsum sit, quod infinitâ suâ potentiâ omnes sine nihili extraxit creaturas hinc consentaneum omninò est æquitati, ut omnia se impendant ad evulgendam ipsius gloriam. Non diffitebor tibi, quin scientia, eloquentia, historia sacra & profana & quidquid boni qualescûq; suppeditant Auctores, adhiberi possit, si serviat majestati & sublimi consilio ac scopo, quem sibi præfixum habet Verbum Dei, sanctificandi nimirum animas. Verum dico, quando servit, vel servire potest: quod enim illi servit, procul abest, ut id ipsum de-

turpet. Quando autem Prædicatores non assumunt nisi ea, quæ servire possunt ad finem Verbi Dei, qui est, convertere peccatores, ipsorumque animis insculpere magnam æstimationem Dei, & ingentem mundi & vanitatum ejus contemptum, parùm & rarissimè utentur profanis; purum Verbum Dei absque comparatione majoris est roboris omnibûs illis, quæ non sunt ipsum: si aucupantur eloquentiâ, aucupentur illam more sanctorum Patrum, & plurimum habebunt roboris ad persuadendum populis magnas veritates salutis: verum non sint gerrones & loquaculi more profanorum & nugivendulorum, qui non nisi speciosa ostentant & jactitant verba, circa insulfas, ridiculas & contemptibiles vanitates. Non mihi hic mens est perstringere Prædicatores malos, sed ut exhibeam vobis idæam Prædicatoris perfectissimi, exhibendus alius non est, quàm Jesus Christus, Considera ergò.

ARGUMENTUM.

Quâ ratione Jesus Christus prædicaverit Verbum DEI.

ARTICULUS II.

Jesus Christus solebat prædicare pauperibus ac rudibus.

Redideris fortassè, quod cum incluserit in se omnes thesauros sapientiæ & scientiæ Dei Pa-

tris sui, prædicare non debuerit nisi veritates infinitâ ratione transcendentem omnem intelligentiam.

gentiam humanam: Quid enim producere posset extra se, nisi quod includebat intus in semetipso? Et nihilominus nulla unquam vel tulit vel vidit ætas Prædicatorem, qui se demiserit ad instruendum simplicissimos, seque exhibuerit familiarem ad informandum plebem, non dico pari, quã ipse ratione, sed qui vel minimum æquiparandus sit ipsi: præcipuum ipsius erat studium prædicare pauperibus, magis rudibus, imperitis ruricolis, dicens, se ad hoc à Deo Patre suo missum esse è cælo in terram.

Marci I. *Eamus, inquit, in proximos vicinos, ut & ibi prædicemus; ad hoc enim veni.*

Sed videre, quanta simplicitate, quantavè familiaritate edocuerit illos sublimissimas de regno Dei veritates; an quidquam mirabilius esse possit? Affert illis comparationes desumptas ex agriculturâ, haultas ex modo, quo mulieres administrant rem familiarem, ut id, quod dicebat ipsis, redderet magis evidens, magisque ipsorum captui accommodatum; imò descendit ad res tam abjectas, ut arrogantia nostra sibi duceret probro, illas proponere in pulpito, nisi quamprimùm adjungeret, Jesum Christum priorem nobis proposuisse & in medium tulisse illas, quasi ad excusandum errorem, quem crederemus nos

commisisse: tam parùm capimus consilia æternæ hujus sapientiæ, quæ Majestate suâ rem non judicat indignam, demittere se usque ad nos induere infantem, infantum more balbutire, simplicitati nostræ se accommodare, se exinanire, ad salvandas animas pauperum peccatorum; & nos credamus, committere nos rem nobis indignam, si nos demittamus ad instituendum pauperes in Christianis moribus, præceptis, ac primis fidei dogmatibus. O nostræ dedecus arrogantia! Verbum æternum, sapientia infinita Patris se dejicit usque ad nihilum ad salvandum omnes, & omnes prædicando nituntur se attollere usque ad firmamentum, ut salvetur nemo.

Nonnè ipse est, qui edocuit nos *Pater noster*? Quantum prodigium, ô magne Deus! quod in stuporem haud immeritò argat omnes Angelos in cælo? videre hunc unicum Patris æterni Filium, familiariter nos instruentem, velut parvulos fratres suos. Quando oratis, dicite: *Pater noster*, qui es in cælis. Hic est *Pater meus*, & etiam est *Pater vester*: Nam ego sum frater vester natu major, & vos estis parvuli fratres mei, nosque omnes nonnisi eundem habemus Patrem, qui regnat ibi superiùs in cælis: Petite ab illo regnum

Utebatur familiarissimis comparationibus.

regnum

Quanta vo-  
luptas videre  
Jesus Chri-  
stum docen-  
tem nos Pa-  
ter noster.

regnum ipsius; nam ipse hoc  
pararat vobis: sed dum illud  
expectatis; rogate illum, ut  
det vobis panem vestrum quo-  
tidie velut egenis parvulis in  
exilio. Vide, quam familiariter  
nobiscum egerit Verbum DEI  
Patris æternum, ut nostras lu-  
craretur animas? O Missionarii,  
quorum institutum est instituire  
& intruere homines rucolas,  
quam sublime est munus ve-  
strum! vos quos zelus sacro  
impetu cogit & agit ultra maria,  
superante omnes procellas ac  
tempestates, ut inquiratis mise-  
ros sylvicolas in extremis salti-  
bus ac desertis, ad conferendum  
illis charitative, quod ab infini-  
ta Jesu Christi accepistis chari-  
tate, ad efficiendum ex illis fra-  
tres vestros & domesticos fidei;  
nonne credatis altissimos in cœ-  
lo Seraphinos sanctâ rari in vos  
invidiâ?

Magnus Apostolus sanctus  
Paulus in raptu suo usque ad  
tertium cœlum, ubi admiranda  
didicit secreta, quæ manifestan-  
di nobis carebat facultate, nihi-  
lominus unum ex illis detexit  
nobis, quod attollere nos omnes  
deberet è terrâ in cœlum, dum  
asseruit nobis: quod Deus Pa-  
ter non contentus misisse nobis  
propriam Verbum suum, ad  
docendum nos, ut appellaremus  
ipsum Patrem nostrum, volue-  
rit nobis etiam mittere Spiritum

Filii sui in intima cordis nostri,  
ad novam addendam nobis  
confidentiam, ut bis appella-  
remus ipsum Patrem nostrum,  
& quidem voce altâ & quasi  
clamando: *In quo clamamus, Abba*  
*Pater.* Hoc verbum Abba, est  
verbum Syriacum, quod signi-  
ficat Pater. Sed sanctus Chryso-  
stomus dicit, id esse verbum in-  
timi amoris, quod parvuli infan-  
tes dicere soleant, dum inci-  
piunt balbutire. Et Theodore-  
tus etiam tenet, quod Apосто-  
lus per hæc exprimere nobis vo-  
luerit modum agendi parvulo-  
rum, qui loqui adhuc nesciunt:  
Cor ipsorum plenum amore,  
majoris eloquentiæ quam lingua  
ipsorum, parvula sua ipsis ape-  
rit brachia ac impellit, ut suavi  
faciem serenante rilu currant,  
seque conjiciant in suorum col-  
la Patrum, quos haud alio, quam  
nomine appellant papa. O Ma-  
jestas infinita Dei! an agis ita  
nobiscum miseris terræ vermiculis?

Quodnam cor non solvatur  
in dulcorem, si penitiùs pauli-  
per consideret, quousque exten-  
dat se bonitatis hujus infinitæ  
abundantia, quâ milit nobis Fi-  
lium suum Unigenitum, Ver-  
bum suum æternum, eo nomi-  
ne, ad familiariter instruendum  
nos, ac edocendum, ut appella-  
remus ipsum Patrem nostrum?  
Sed hoc nondum sufficit ad sa-  
tiandum

Pppp

tandum

Deus vult à  
nobis vocari  
papa, uti in-  
fantes suos  
vocant pat-  
res,

Rom. 8.

S. Chryso-  
stom. 14. in  
Epist. Rom.

Theodore-  
tus in c. 8. ad  
Rom.

Amor stu-  
pendus Dei  
erga nos,

tiandum plenè bonitatem pater-  
ni cordis sui; vult insuper, ut  
utamur erga ipsum amicabili ac  
innocenti illà confidentià, quã  
uti solent parvuli infantes erga  
Patres suos, & consultò mittit  
nobis Spiritum Filii sui, id est,  
Spiritum Sanctum, qui non est,  
nisi amor, in penetralia cordis  
nostri, ut hanc nobis inspiret  
confidentiam, in quã suam in-  
cipiat voluptatem. O Deus!  
quid fieret nobiscum, si cor-  
respondere & vicem reddere nos-  
semus tenerrimo tanti Patris er-  
ga filios suos amore? O! si im-  
petus amoris infantilis & filialis  
nos sæpius impelleret ad curren-  
dum in sinum ejus brachiis &  
corde apertis, suavissima hæc  
verba tenentes in ore: *Abba Pa-  
ter, Abba Pater*; quã amanter  
quasi reciperemur ab ipso?

Hoc bonum foret ac con-  
gruum illi, replicat Onesimus,  
cui agendum non esset nisi cum  
animabus simplicibus ac inno-  
centibus; posset enim cum illis  
agere familiariter, & benevo-  
lentiã lucrari illas; sed JESU  
Christo prædicandum fuerat vi-  
ris sapientibus, quales erant Do-  
ctores legis; animabus perversis  
& subdolis, quales erant Pha-  
risæi; frontibus duris ac proter-  
vis, quales plerique erant Judæi,  
quibus statutum erat in omni-  
bus opponere se ipsi invincibi-  
liter. Hinc est, quod non con-

verterit nisi ipsorum paucissi-  
mos, qui, uti videbatur, con-  
cioneunicã convertere debuisset  
omnes in mundo homines,  
cùm ipse sit verbum omnipo-  
tens, qui cuncta entia creata  
traxit è profundã abyssò nihili,  
unico duntaxat verbo.

Verùm etiam, respondit Ec-  
clesiasticus, JESUS CHRISTUS, qui  
demisit usque ad nihilum, dum  
instruendi erant pauperes & sim-  
plicis vulgi homines, mirificè  
sele elevavit, quando oppu-  
gnanda fuerat duritia, vel con-  
fundenda malitia & Hypocri-  
sis Scribarum & Phariseorum.  
Nonnè vocem induebat quasi  
tonitru, nonnè omnem inten-  
debat vim ac nervum eloquen-  
tiæ prosternentis omnia, quan-  
do ipsos objurgabat, in ipsos  
invehatur. Revolve vigesi-  
mum tertium caput in Evange-  
lio S. Matthæi, & undecimum  
caput in illo S. Lucæ: Videbis  
quantã auctoritate & quantã  
virtute loquatur illis: *Væ vobis  
Scribæ & Pharisei hypocritæ, qui  
clauditis regnum coelorum ante  
homines; vos enim non intratis;  
nec introeuntes finitis intrare.  
Væ vobis Scribæ & Phari-  
sæi hypocritæ, quia comeditis  
domos viduarum, orationes  
longas orantes, propter hoc am-  
plius accipietis judicium. Væ  
vobis Scribæ & Pharisei hypo-  
critæ, quia circuitis mare & ari-  
dam,*

Eloquentia  
Jesu Christi  
est admirabi-  
lis in virtute  
& sublimitate  
suã, quando  
invehatur  
in obstinatos  
peccatores.

Math. 23.

Luc. 11.

dam, ut faciatis unum Profely-  
tum, & cum fuerit factus, faci-  
tis eum filium gehennæ, duplò  
quàm vos. Væ vobis Duces  
cæci, qui vos ipsos ducere &  
gubernare non potestis. Væ vo-  
bis Pharisei, quia decimatis  
mentam & rutam & omne olus;  
& præteritis iudicium & chari-  
tatem Dei, excolantes culicem &  
camelum glutientes. Væ vobis  
Scribæ & Pharisei, quia similes  
estis sepulchris dealbatis, quæ à  
foris apparent hominibus spe-  
ciosa, intus verò plena sunt os-  
sibus mortuorum & omni spur-  
citiâ. Phariseæ cæce, munda  
prius, quòd intus est, ut fiat id,  
quòd de foris est, mundum. Væ  
vobis Scribæ & Pharisei hypo-  
critæ, quia ædificatis sepulchra  
Prophetarum, & ornatis monu-  
menta iustorum, quos Patres  
vestri occiderunt. Implete man-  
suram Patrum vestrorum; quia  
peiores estis illis, & pejora il-  
lis adhuc faciatis: Serpentes,  
genimina viperarum, quomodo  
fugietis à iudicio gehennæ?

Dicere omnia hæc in ipsorum  
præsentiâ, voce tonitruï non  
absimili, quæ terrore percelle-  
bat omnes; & zelo ignito, qui  
succendebat cunctos: an un-  
quam tantâ cum vehementia  
declamatus fuerit sermo. An  
unquam omnes & maximi qui-  
que oratores vel Romæ, vel  
Græciæ tanto in suis investivis

fuere terrori? Benè noverat,  
quòd convertendi non essent,  
probè agnoscens induratam ma-  
litiâ cordis eorum; suas ta-  
men offerebat ipsis gratias, qui-  
bus inexcusabiles fierent coram  
Deo. Non ignorabat, se non-  
nisi excitare contra se rabiem  
ferocium harum bestiarum, nec  
minoris, quàm vitæ suæ statu-  
rum sibi impendio; verùm  
suam in hoc collocabat felicitatem,  
si causam defenderet Dei,  
virtutis & veritatis, suæ peri-  
culo vitæ. Prædicatores, ecce  
vobis exemplar vestrum; hic  
enim Magnus per Antonoma-  
siam Prædicator est, propositus  
vobis ad imitandum. Ubi ve-  
stra est facundia? ubi est virtus  
vestra? ubi est fervor & zelus  
vester? dum non audetis repre-  
hendere vitia, nec vos opponere  
maximis Dei inimicis? Dici-  
tur, opus hic esse prudentiâ: An  
Jesus Christus, dum dixit hæc  
omnia, caruit illâ? sed habuit  
prudentiam, & hanc prorsus  
divinam, quæ nihil metuebat;  
& nos habemus prudentiam  
prorsus humanam, quæ timore,  
ne displiceamus mundo, vos  
percellit.

O Domine mi, replicat One-  
simus, quàm cautè abstinendum  
est hodie à stylo prædicandi tam  
accenso tamque libero! acci-  
piendus quis foret pessime: exi-  
gitur enim nunquam non maxi-

Ignava ve-  
cordia Præ-  
dicatorum.

Ppp 2 ma

Nunquam  
Orator tantâ  
locutus est  
cum vehe-  
mentia, quâ  
Jesus Chri-  
stus.

uentia  
Christi  
mirabi-  
virtute  
olimitate  
quando  
ebatur  
stianus  
tores.

23

II,



ma erga personas illustres reverentia, ad ipsa etiam illorum sese extendens crimina, de quibus facere oportet, eaque semper tenere occulta, quantumvis sint publica; alioquin aliquis non effugiet imprudentia & temeritatis notam. Ita credo e quidem, reponit alter, notabitur sic coram mundo; sed quantam coram Deo inveniret notam, si mutum egerit canem, qui tenetur latrare contra vitia ex officio, idque ex meticolosa omiserit recordia?

*Jesus Christus  
prædicans ac  
commodavit  
se singulorum  
indigentia.*

Redeo ad considerandum modum admirabilem, quo usus est Jesus Christus in annuntian- do Verbo Dei. Accommodavit se uniuscujusque capacitati, ut prodesset omnibus, parvis, magnis, ignavis, doctis, magis rudibus, magis spiritualibus; docens omnia à primis principiis ac rudimentis, usque ad altissimum vitæ contemplativæ fastigium. Si instruendi erant pauperes & simplices, inquirebat ipsos in vicis ac villis suis; si objurganda erant vitia Magnatum ac potentium hujus mundi, conscendebat Cathedram in magnis civitatibus, & horrenda fulminabat & detorquebat in ipsos anathemata. Si confutandi erant errores, oppugnanda Doctorum Synagogæ protervia, nolentium credere, ipsum Deum esse, & verum Dei Filium, eò quòd vide-

rent, ipsum verum esse hominem, non nisi duobus usus est verbis, quibus quòd opponerent, non habebant. Quid vobis videtur de Messia? cujus est filius? responderunt ipsi: Est Filius David; sed David vocat ipsum Dominum suum in Psalmo centesimo nono: *Dixit Dominus Domino meo; sede à dextris meis*: Si est ipse Dominus, quomodo est ipse filius? nisi fateamini, quòd sit uterque; quòd sit ipse Dominus, in quantum est Deus, quòd sit ipse filius, in quantum est homo: quid dicitis ad hoc? nihil habebant, quod reponerent.

*Psal. 109.*

Si tradenda erant dogmata vitæ spiritualis, nihil tam sublime est, quod accedat ad illud, quod ad vesperam cœnæ dixit Apostolis suis in pulcherrimo illo habito ad ipsos sermone, qui refertur à S. Joanne Evangelii sui capite decimo sexto & decimo septimo, ubi nil loquitur, nisi de excellentiis charitatis, de unione intimâ animarum suarum cum Deo, de claritate, quam acceperat à Deo Patre suo, quamque communicaverat illis, ut unum essent inter se, sicut ipse & Pater ejus non nisi sunt unum: vult ipsos sanctificari in veritate, & esse in se, sicut ipse est in Patre suo. Non est Verbum in toto illo magno sermone, quòd non admirationem pariat maxi-  
mè

*Jesus Christus  
docet vitam  
spiritualem.*

mè contemplativis, qui fuerunt unquam, quòdque incomprehensibilia non continent mysteria.

Si loquendum est, de altissimâ perfectione orationis mentalis, consideratur & comprehendatur, si potest, quòd duobus dixit verbis ad Samaritanam: *Veri adoratores, adorant Patrem in Spiritu & veritate: Deus spiritus est, & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Consulantur desuper illuminatissimi quique in Mystica Theologia, videbimus ipsos omni adhibitâ contentione, ut aliquam illius nobis tribuant informationem, fateri tandem debere, se eò pertinere non posse, idque transcendere omnia tum verba, tum cogitata hominum, omnesque magnas has veritates adorandas esse in silentio, quas nostra non capiunt ingenia, sed potius capiuntur & absorbentur ab illis. Siquidem quid est adorare Deum in spiritu & veritate? Pater est Deus, Filius est veritas, & Spiritus Sanctus est spiritus. Si adorem Patrem per Filium ipsius unigenitum, quem donavit mihi, ut faciam per ipsum, quòd per meipsum facere non possem; si adorem ipsum per Spiritum Sanctum, quem misit in cor meum, ut daret mihi confidentiam, quâ appellarem illum Patrem meum: an adoravero in

spiritu & veritate? Estne res ita intelligenda?

Sed enim esse non debent lumina & cognitiones proprii mei intellectus naturalis, nec affectus naturalis voluntatis meæ, quibus affixus teneatur Deo ad contemplandum illum in oratione meâ, ad cognoscendum & amandum ipsum. Alius requiritur intellectus, qui elevet animam meam supra proprium meum intellectum: hic intellectus est veritas infinita, & propria cognitio Dei, quæ excæcat meum intellectum. Alius requiritur amor supra illum, quem voluntas mea potest producere, qui attollat illam supra omnes affectus suos, ipsamque absorbeat in sphaera ignis prorsus divini, ubi perditur, abs eo, quòd se agnoscat, aut sciat, quid secum factum sit, aut quid faciat. An ita adoratur Deus in spiritu & veritate? Sed Pater cœlestis, quis facere potest, nisi feceris tu ipse? Nonne dixisti, quòd nemo cogitando ad staturam suam adjicere possit cubitum unum? Non, procul dubio, hoc non fit de eo cogitando, sed potius de eo non cogitando: Siquidem quamdiu sumus in nostris cogitationibus, semper sumus in nobis ipsis. Eheu! quàm impossibile est exire animam ex seipsa, ut intret in te, nisi tu ipse attraxeris ipsam! Faciat, quidquid

Quid appellatur oratio passiva, quàm non facit anima, sed quàm recipit à Deo.

Joan. 4.

Jesus Christus docet arcana contemplationis, quæ nobis sunt incomprehensibilia.

Pppp 3

possit,

possit, ut attollat se vel minimum supra statum suum naturalem, magis retardabitur ab eo, quam promoventur. Si bene humiliare se noverit in abyfso sui nihili; scriptum est: *Qui se humiliat, exaltabitur.* Sed fortassis unum non minus impossibile est altero, nisi ipsemet Deus id faciat ex infinita miseratione sua.

Discursus hic pii nostri Ecclesiastici erat aliquantisper ni-

miùm spiritualis pro captu Onesimi, qui nulla præbebat singularis ex eo hausta voluptatis indicia ( siquidem sensibus plus æquo immersi tam parùm capiunt ex rebus spiritus ut has velut Chimæras aspiciant ) maximum autem ostendebat desiderium audiendi unam e concionibus Jesu Christi. Mox tuis annuam votis, respondit Ecclesiasticus. Audi & attende solemter.

## ARGUMENTUM.

*Purissima doctrina Jesu Christi compendiosè tradita in sermone supra montem facto.*

### ARTICULUS. III.

Differentia  
inter concio-  
nes Jesu  
Christi, &  
illas Scriba-  
rum & Pha-  
risæorum

**H**Aud levis erat differentia inter prædicationes Jesu Christi & illas Scribarum, Phariseorum & Legis Doctorum. Nam 1. Jesus Christus prædicabat cum potestate supremâ veluti verus Deus & omnipotens Legislator: alii non loquebantur nisi velut simplices legis expositores, qui sæpe sæpius non explanabant nisi solas, quas in sacrificiis observari oportebat, cæremonias. 2. Loquebatur is cum magno spiritus fervore; & multo melius adhuc suis instruebat exemplis, quam verbis: illi loquebantur aridè, jejunè & oscitanter & adhuc tantummodò verbis, absque exemplis. 3. Circumfere-

bat ille miram eloquentiæ suavitatem in labiis suis, tantaque demulcebat aures voluptate, ut omnes catervatim inquirent ipsum in desertis, & sæpius tres integros dies consisterent ibi, obliti curas corporis & cuncta terræ negotia, rapti extra semetipfos audiendo discurrentem illum de rebus cœli, omnesque confiterentur, nunquam audivisse se sic hominem loqui; sed quod præcipuum erat, confirmabat omnia hæc, quæ dicebat, miraculis omninò manifestis, iisdemque plurimis: Scribæ & Pharisei his omnibus destituebantur, nec quidquam illorum possidebant. 4. Denique Jesus Chri-

Christus docendo exterius, pollebat virtute illuminandi interius animas & omnia penetrandi corda, eòquod loqueretur & abundantia cordis sui & ardentissimo erga salutem animarum zelo; alii, qui nonnisi externa declamabant voce, poterant ferire aures, sed carebant facultate tangendi & commovendi corda.

Doctrina Jesu Christi acriter oppugnat spiritum sæculi.

Verum quidem est, quod omnia, quæ habemus de Jesu Christo in Evangelio, appareant admiranda; videtur tamen conficere nobis voluisse, Epitomen omnium eorum, quæ pulcherrima, utilissima & maximè necessaria sunt doctrinæ suæ, in admirando illo supra montem habito sermone, ubi paucis verbis prosternit & evertit omnem spiritum sæculi, quem ex integro oppositum demonstrat spiritui Dei.

Quisnam sit hic mons, in quo prædicavit Christus pulchrum hunc sermonem,

Mons hic, quo utebatur velut pulpito, quemque conscendit ad faciendum ibi insignem hunc sermonem, qui que jam designabat doctrinæ, quam hominibus explanare volebat, sublimitatem, non est mons Olivarum, sicut aliqui existimabant, nec mons Thabor, juxta opinionem sancti Hieronymi. Sed ii, qui accuratè descripserunt terram sanctam à seipsis prius perlustratam, uti Breidenbachius, Adrichomius & alii, asserunt, hunc esse montem specialem, qui ho-

diedum adhuc retineat nomen montis Jesu Christi, eòquod sæpiùs secesserit in ipsum ad faciendum ibi orationem suam, & capiendum post labores suos modicum quietis. Dicunt montem hunc esse altitudinis mediocris, sed pulchritudinis omninò singularis, totum amœnissimo coopertum virore, herbarum, florum, arbuſtorum; insuper ipsius aërem, qui maximæ est temperiei, constituere ex ipso mansionem omninò idoneam recollectioni & contemplationi: distat is nonnisi stadio à civitate Capharnaum, versùs partem Occidentalem & admodum vicinus mari Galilææ. Jesus Christus sæpiùs ex hoc monte suum sibi struebat oratorium, ibique plures exigebat noctes integras in oratione, sicut etiam faciebat dispositurus se ad enuntiandum ibi magnum hunc, insignem hunc & efficacem sermonem cujus me tibi contexere desideras narrationem.

Erat ipsi animus faciendi quasi synopsis omnium suorum aliorum sermonum, & oppugnandi ex instituto omnes & maximos quòsque abusos & errores sæculi, declarando infelicitatem eorum, qui sectantur tyrannicas mundi, humanarumque passionum leges, & econtra summam eorum beatitudinem, qui suam amplecti volent doctrinam illis omni-

Sermo de sermo beatitudinis complectitur omnem doctrinam moralem Christianam.

omni-

omnino oppositam, quæ complectitur præcipuas octo veritates, nuncupatas à nobis Beatitudines octo Evangelicas. Et ecce hæc ostendunt nobis, omnia, in quibus mundus suam constituit felicitatem, veras esse misérias; & econtra illa omnia, in quibus non nisi misérias sibi imaginatur, veram consistere beatitudinem animarum Deo fidelium.

In primis mundus credit, palamque ac disertè evulgat, divites esse Beatos in terris, eòquòd videbatur ipsis omnia evenire & fluere ad vota. Deciperis, deceptor & fallax munde, ausculta veritatem æternam dicentem tibi: *Væ vobis divites, qui habetis hic consolationem veltram, eòquòd impossibile quasi sit, introire vos unquam in regnum cælorum.* Et ex adverso dicit:

*Beati pauperes spiritu*, id est, qui habent spiritum & cor abstractum ab omnibus mundi rebus, ipsorum est enim regnum cælorum. Non inquit, beatos illos esse in spe, eòquòd aliquando possessuri sint Paradisum, sed dicit, quod jam ipsius teneant possessionem, quâ jam reddantur beati: siquidem an non verus sit Paradisus, quando degustat anima jucundam & pretiosam possessionem Dei, quem nemo tollere potest ipsi, & a quo impletur consolationibus, quæ infinitâ ratione transcendunt il-

las omnes, quas universus mundus parare & parere illi potest.

Secundò mundus credit, hominem esse infelicem, si ulcisci non possit injuriam sibi illatam, nec duplò aut quadruplo reddere malum sibi factum. Et non videt, exitium se esse sibi ipsi, eòquòd levi, quàm accepit, injuriâ, quâ patienter perpessa poterat sibi parare coronam immortalem, malum sibi adsciscit æternum inseparabiliter connexum cum eâ, quam meditatur, vindictâ. Et Jesus Christus volens detegere fraudem, dicit ipsi: *Beati mites*, id est, qui patienter & cum mansuetudine tolerant injurias, quoniam ipsi possidebunt terram, id est, mititate suâ comparabunt sibi dominium mundi & regnabunt in omnium cordibus. Sic exponit S. Chrysostomus, qui audacter dicit, nihil esse, quod majorem habeat vim, majus robur, majusque imperium mansuetudine, tamque citò non extingui magnum ignem copiosâ abundantia aquarum, quàm extinguitur summè accensa hominum iracundiâ verbis blandis ac amicè prolatis.

Tertiò mundus non nisi risum aucupatur & gaudium, illòsque beatorum accenset numero, qui suam jucundè exigunt vitam in relaxationibus non intermissis & voluptatibus continuis: *O munde obcæcate, quantum deciperis!*

Beati pauperes, infelices divites,

Matth. 5.

s. Chryst. hom. 58. in Genes.

Luc. 6.

ciperis! Jesus Christus, qui ipsa est veritas, tibi dicit: *Va vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis*: non ridendo agitur poenitentia. Jam ignes æternos non nisi per poenitentiam evitare potestis: Lugendi igitur per totam æternitatem habebitis otium in rogis inferni. Et inquit ex opposito: *Beati, qui lugent*, id est, qui effundunt clam e corde suo lacrymas doloris continui de peccatis suis, renuntiantes per hoc omnibus vanis mundi gaudiis ac voluptatibus. O beatos, & millies beatos illos, quoniam consolabuntur in æternum.

Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam infelices gulosi.

Luc. 6.

Optimè noverat quartum mundi errorem quærentis felicitatem suam in voluptatibus sensuum, quorum plures reperire est tantæ brutalitatis, ut beatos se æstimarent, si semper esse possent ingurgitati ac ventre distenti. Et dicit illis: *Va vobis, qui saturati estis*, qui alium non adoratis Deum, nisi ventrem vestrum, cui sacrificatis omnia, propterea fame peribitis æternâ, & econtra declarat illis, beatos esse illos, qui esuriunt & sitiunt, qui famam tolerant & sitim, sed famem sacram justitiæ & sanctitatis, quoniam saturabuntur: non, quòd unquam habituri sint saturitatem tam plenam in hac vitâ, ut non semper experiantur famem & sitim majoris justitiæ; sed quòd in hoc præ-

cipuè suam inveniant beatitudinem, uti dicit S. Bernardus, s. Bernard. Anima justa nunquam dicit: Epist. 253. Satis est; semper stimulatam sentit fame & siti justitiæ majoris, ita ut, si semper viveret in terris, semper contenderet fieri melior, & suspiraret cum Vate regio: Non dicam unquam Domine satiata esse me; sed *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*. O beatam animam famelicam, quæ tam amabili cruciatur torturâ.

Quintò oppugnat immiseri-

Beati misericordes, misericordes, misericordes.

cumfert signum reprobationis: cor autem misericors, quod suum diligit fratrem, quod illi compatitur, quod affert illi, quantum potest, solati, cor est cujusdam prædestinati.

Beati mundo corde; miseri, qui curam gerunt corporis.

Sexto, videns, quod mundus, qui totus animalis est, suam collocetem felicitatem in curando ac fovendo sollicitè suo corpore, modò id sanum sit ac incolume, modò suis fruatur desideriis, modò suis vivat Commodis, sibi que satisfactum jam credat, flocci æstimans suæ puritatem animæ, hanc illi præ omnibus commendat. Munde insensate, an ignoras te spiritum immortalem inclusum circumferre in ergastulo hoc luteo? Tu beatum te credis, si ergastulum hoc commodo fruatur statu; sed est potiùs infelicitas tua: hæc enim ratione, nunquam æternæ frui poteris lucis usurâ. Et ego dico tibi, veram consistere felicitatem in cura animæ tuæ: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt præsentem in omnem æternitatem.*

Beati pacifici, miseri discordiarum amatores.

Septimò miserans stupendam mundi cœcitatem, qui nonnisi vivere vult & potest in tumultu, semper in armis, in disceptationibus, in controversiis, in querimoniis, velut corpus phœneticum, cujus unum membrum armatur contra alterum, ad illud dilacerandum ex summâ fatuitate in hoc se suam invenire

putans felicitatem; aliàs enim non faceret, cum infelicitatem suam quærat nemo. Ipsæ referat illis oculos, ipsosque docet, ubi faciliè inveniant, si velint, veram & solidam felicitatem; nempe in mansuetudine & in amore pacis: quod, si ament discordias, pugnas, inimicitias, infernalium evadent filii furiarum: Verùm si amaverint unionem, pacem & tranquillitatem, appellandi sint Filii Dei, & potituri in omnem æternitatem hæreditate Patris sui. Beati pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur.

Tandem concludit totum suum sermonem, Beatos pronuntiando illos, qui patiuntur persecutiones; quod paradoxum est subvertens & confundens omnem falsam mundi sapientiam: siquidem hæc ceu indubitatum tenet effatum, infelices esse illos, quos premit persecutio, aggravat adversitas, caleat afflictio. Verùm ò sapientia infinita! quantò veritates à te edoctæ, quamvis omnes nostros offendant sensus, magis sunt certæ, magis solidæ, magis consolatorix, quàm omnes vanæ mundi fallaciæ, quibus nonnisi fucus est & dolosa species; O munde omnis expers scientiæ! Nisi credas Jesu Christo tibi dicenti: Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, in hac vita, magisque beati qui patiuntur

Beati, qui patiuntur, infelices, qui non habent, quod patiantur.

ma-

magis; in testimonium advoco, quidquid volueris ( exceptâ Babylone tuâ, quæ composita non est, nisi ex insipientibus ) consule desuper omnia: Interroga cœlum, interroga bonos omnes; qui sunt in terris, interroga infernum, si velis, ipsum; an verum sit, beatos illos esse, qui persecutionem patiuntur, qui obruuntur adversitatibus, qui onerantur crucibus, quas cum submissione in voluntatem Dei portant & tolerant in hac vita.

Totum cœlum respondebit tibi: Scriptum est, & veritas est fidei: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Qui partem non habuerit ex cruce Redemptoris, partem non habebit ex Redemptoris gratiâ; & tandem omnes mundi consolationes simul non tantâ nos locupletarent felicitate, quantum invenimus in tribulationum & adversitatum minima. Omnes boni, quos universus complectitur orbis, tibi dicent, se expertos esse, neminem sequi posse Jesum Christum, nec ambulare post ipsum in via cœli, nisi oneratus sit cruce ipsius; in super gratiam, virtutem, innocentiam, in quibus consistit tota felicitas & tota tranquillitas animarum, ita inseparabiles esse ab afflictionibus, ut videantur ab instanti, quo non patiuntur amplius, illa omnia in ipsis diminui;

perdi successivè Spiritum Jesu Christi & resumi illum mundi, ita ut videatur illos quasi amplius non esse Christianos: sicque beatos esse illos, qui patiuntur aliquid pro Deo, magisque beatos, qui patiuntur plura. Et totus ipse infernus horribili ad te clamabit voce: *Maledictæ mundi voluptates, quæ induxistis nos, ut fugeremus crucem, quàm magni modò constatis nobis! O quàm eramus miseri, dum felices nos credebamus, ab omni miseriâ, ab omni cruce liberi! Ubi modò estis fortunatæ afflictiones mundi perpeffæ & toleratæ pro Deo? Summè fueratis deprædicatæ nobis, sed ludibrio habebamus vos, quia vos non noveramus. Non lugemus vos, voluptates præteritæ: Eheu! utinam fuissetis nunquam: sed deploramus te crux amabilis: Ah deploramus te! ita, deplorabimus te in æternum.*

Ecce tibi, quâ ratione doctrina Jesu Christi è diametro sit opposita cunctis mundi affectibus ac desideriis. *Mundus beatos dicit divites; Jesus Christus beatos dicit pauperes; Mundus beatos nuncupat eos, qui aucupantur vindictam; Jesus Christus beatos nuncupat illos, qui cum mansuetudine supportant injurias: Mundus beatis accenset eos, qui ridet, gaudent & jucundantur;*

*Oppositio inter doctrinam Jesu Christi, & illam mundi.*

*AA. 14. v. 21.*

*Cœlum, terra & infernus testatur, beatos esse, qui patiuntur.*



dantur; JESUS CHRISTUS beatis accenset illos, qui lugent, plorant & contristantur. Mundus beatos æstimat eos, qui lautè vivunt ac opiparè; JESUS CHRISTUS beatos æstimat illos, qui fame & siti tenentur justitiæ: Mundus beatos affirmat eos, qui nullam commiserando admittunt societatem miseriarum alienarum. Et JESUS CHRISTUS beatos affirmat illos, qui misericordiam aliorum exhibent miseris, quoniam & ipsi misericordiam consequentur: Mundus beatos deprædicat eos, qui sanitatem & incolumitatem obtinent corporum; & JESUS CHRISTUS beatos deprædicat illos, qui innocentem conservant animam, suumque cor mundum à peccato: Mundus beatos appellat eos, qui præfervido & generoso sunt animo, qui omnia susque deque vertant, oppugnent alios, seque defendant; & JESUS CHRISTUS beatos appellat illos, qui amantes sunt pacis, hanc inquirunt, in se & aliis conservant: Mundus denique beatos asseverat eos, qui non intermissà fruuntur prosperitate, nec quidquam habent, quòd patiantur; JESUS CHRISTUS beatos asseverat illos, quos persecutiones obruunt, quos cruces onerant & affligunt.

Onesimus exspectare vix potuit, quoad suum absolverat Ecclesiasticus sermonem, quin

subasperè alloqueretur illum: An ratione hâc declamas & debucinas Verbum Dei? An concionem hanc esse dicas factam à JESU CHRISTO? Attulisti in medium verba plurima, quæ nunquam ex ipsius sunt ore profecta; citasti sanctos Ecclesiæ Patres; an JESUS CHRISTUS in sermone suo citavit illos? Et deinde dicebas, ipsius inesse labiis eloquentiam omninò divinam, verbâque ipsius mirificâ pollere virtute commovendi corda; nihil ejusmodi in me expertus sum, meâ spe, quàm alueram animo, deceptus.

Credo id equidem, respondet Ecclesiasticus; siquidem non repetii tibi de verbo ad verbum sermonem JESU CHRISTI; non ad longum Evangelistæ exarârunt illum; sed annotârunt solummodò præcipua, quæ tractabat, capita: Et quandò dicitur, veros Concionatores adniti debere, ut purè annuntiant verbum Dei, non est intelligendum, ipsos eadem in medium proferre debere verba ab ipso dicta; sed quòd loqui nil debeant, quòd adversetur intento ab ipso sensui, & benè cognoscere studeant veram sancti Evangelii intelligentiam, ut emendatè illud exponant, & quantum poterunt, animis imprimant mortalium.

Hinc est, quòd citârunt Patres Ecclesiæ, eò quòd exiis melius intel-

Quid sit prædicare purum Verbum Dei.

intelligere & cognoscere possumus sensum Evangelii; & ut verum fatear, nobis aliud hâc in parte non superest remedium, nisi ut recurramus ad ipsum JESUM Christum, ipsum consulendo in oratione, ipsum obsecrando profundâ cum humilitate & ingenti Spiritûs fervore, ut ostendat se nobis, quatenus & nos ostendere possimus ipsum aliis, utque effundat divinæ suæ gratiæ unctionem in corda nostra, & super labia nostra, quatenus verba ipsius e corde nostro profecta, virtutem acquirant commovendi animas, illasque Deo lucrandi. Procul dubio Prædicatores, qui ratione hâc cognoscere studerent JESUM Christum

& nonnisi loquerentur ex abundantia ipsius Spiritûs magnum facerent profectum, mirabilemque colligerent fructum. Sed quàm pauci sunt horum! quàm pauci sunt horum! quia paucos reperire est Prædicatores, qui viri existant magnæ orationis.

Novi saltem, replicat Onesimus, numerari inter eos, qui non ita purè quærant commodum JESU Christi, quin admisceant illi quoque suum; novi id, & ipsemet vidi. Narrare me tibi oportet ad hoc propositum, quid contigerit auditu forsan non inutile, nec injucundum.

## ARGUMENTUM.

*Quid acciderit cum tribus Prædicatoribus.*

### ARTICULUS IV.

**N**OVERIS tres Prædicatores, qui non ita differebant indole ac genio, sicut differre videbantur amictu & habitu, viros haud mediocri insignes humanitate (familiariter enim utebantur mundo, ex cujus consuetudine, ut ratio postulat, studebant se excolere) post absolutos quadragesimales suos sermones convenisse, vel casu fortuito, vel ex instituto in hospitio satis bono, quod erat secus viam, quâ iter faciebam. In-

travi paulò post ipsos, & quia non erant Misantropi, fugientes conversationem hominum, amicè admodum me exceperunt, ad innuendum mihi, meam sibi haud displicere societatem, nec ullo se afficiendos à me fastidio. Intelligebam benè, ipsos jam diuturnâ conjunctos fuisse familiaritate, dum perspexi, quantâ enarrarent sibi invicem confidentiâ eas, quæ ipsis obtigerant, sortes.

Qggg 3

Gau.

Sensa & affectus trium Prædicatorum pessimorum.

Gaudebam videre me viros bonâ suâ, quàm nacti fuerant, fortunâ, contentos optimè. Unus dicebat: Verùm est, me haud caruisse molestiâ; triste enim tempus erat, inamœna facies æris & viæ pessimæ; verùm nulla mihi ansa est conquerendi nimium de meâ, quàm toleravi, molestiâ; siquidem mea mihi quadragesima quadringentas propemodùm attulit libras. Nonnè hoc operæ sit pretium, discurrere per quaternos aut qui nos tenues vicos, quos mea complectebatur statio? Verùm est, oportuisse paulisper moderari sumptus, & sedulò invigilare omnibus; nihil enim neglexi; veruntamen reportavi hæc, quibus apprimè contentus sum. Verùm an frequens tibi erat auditorium, interrogabat alter? Non frequentabat quasi sermonem nemo: sed quid refert. Quando dixi, semper jus habeo ex eo, quòd dixi, meum faciendi quæstum; an autem illi ex eo, quòd dixi, profecerint nescio; hoc scio, me non malè profecisse ex eo, quòd dederunt mihi: Et hoc præcipuum est; anno sequenti spero quid amplius.

Interpellat ipsum alter & dicit. Quantum ad me, ingens quidem non feci lucrum, melius tamen mihi fuit, quàm tibi: siquidem res mihi fuit cum ho-

minibus omni humanitate & benevolentia plenis, quibus cura est lautè semper & opiparè suum tractandi prædicatorem, præcipuè quando vir est amans societatis, & gnarus familiariter adhibere illos, nec nimium discrucians illos in pulpito, sed palpans & blandiens (non enim torqueri, nimiumque urgeri amant) quorum genium dum cognovi, me eidem accommodavi. Econtra & ipsi cunctis profecuti me sunt officiis, habitis in coronam convivii, omni ferculorum genere adornatis; isque me sæpius habuit commentalem, qui exhibuit se mihi magis beneficium & liberalem; agebantur autem semper omnia modesta cum libertate, & liberà cum modestiâ. Ut verùm tibi fatear, nunquam me habui melius, nec credo amœnius, quàm exegerimus, exigi quadragesimam posse; dicebam quandòque ridendò hæc ratione mallem quasi præ bacchanalibus quadragesimam.

Sed mi Pater, dicebam ipsi, quâ ratione accommodes hæc cum poenitentia, quam ab omnibus Christianis exerceri tempore quadragesimæ vult Ecclesia? Et quomodò prædicare illam poteras publice, ejusmodi ducens vitam in specie? O Domine mi, reposuit mihi quantocyùs; in Cathedra accommodavi

Gulosus.

davi me cathedræ, ad mensam accommodavi me mensæ. An ignoras, sanctum Thomam mentionem facere certæ cujusdam virtutis, quàm nuncupat Eutrapeliam, quæ commodissima est omnium quàmque exigente necessitate est licitum exercere. Mihi sufficit, me meâ quadragesimâ haud leviter vixisse contentum; compertumque mihi est, comparasse me illic mihi amicos, qui nunquam non excipient me lautè, dum invisum accedam ipsos; & exploratum habeo, me non modicum reportasse lucrum, reportando cum satisfactione hæc exinde gradum.

*Ambitiosus.* Tertius auscultabat duos alios, cum parvæ cujusdam specie indignationis, quam nihilominus dissimulabat. Advertēbam indignari ipsum ex metu, ne parum ipsorum ædificarent me sensa, vota, desideria; sed celabat id silentio, metuens ne offensæ ansam præberet ipsis: Et dubio, procul altioris hic erat animi, ac paulò magis sapere videbatur aliis, unde & magis auspiciatâ suâ sorte videbatur contentus. Prædicaverat is in loco quodam magis spectabili, unde magnam traxisse se credebat nominis splendorem: Ingentem texebat nobis narrationem de sui excellentiâ auditorii, cui de plebe quasi aderat nemo,

quòd sermones sui accommodati essent pro viris tum sapientiâ tum prosapiâ claris; summâ perfundebar voluptate, quòd circumfusum se viderit à personis primariis, & splendidâ virorum illustrium coronâ, non solum in civitate, sed in tota vicinia, suo se prosequentium applausu & disertè dicentium, quòd à longo tempore virum non audiērint, cui tanta cum aviditate suas præbuerint aures; quòdque plures è præcipuis sibi rependendo grates seque millenis exornando encomiis, summo se accensos demonstrarint desiderio, suâ potiundi præsentia, pro alterâ adhuc quadragesimâ.

Nonnè hæc omnia generoso ac nobili exoptanda sint animo? Quantum ad me, dicebat, non ita proprii studiosus sum commodi, ut magni pendam proemium & retributionem; nec ita opiparis demulceor epulis, ut dicendo aucupari velim illas; præcipuè, cum hæc deesse non possint, ubi optimates quis habet sui æstimatores, Meccenates, fautores. Non alia in votis mihi est satisfactio, nisi quòd fecerim satis exspectationi personarum illustrium, virorum omni literatura excultorum, qui præstant notitiâ judicandi de alicujus operis præstantiâ. Nam quid oblectamenti quis habeat, si omnem

si omnem navet operam in concinnando exacte sermone juxta artis regulas, & exornando eundem omni eo, quod afferri potest vel magis curiosum, vel magis acuminosum, vel magis portentosum circa id, quod tractatur, argumentum, nisi inveniatur auditores, qui operis agnoscant excellentiam, illudque promeritis extollant encomiis?

Ecce tibi, quæ fuerint trium nostrorum insignium prædicatorum colloquia. Admirabar auspiciam ipsorum sortem: Nam quivis eorum ad amissim in venerat, quod suam rapiebatur inclinatione. Unus reportavit crumenam suam apprimè fartam; alter ventrem suum optime saginatum; & tertius caput suum totum quantum oppletum magnam sui ipsius existimatione. Et omnes contenti optime suam recesserunt sorte. Nonne hos omnes albo notatos calculo, beatorum inferas albo?

Infelicitas  
Prædicato-  
rum, quibus  
perverſa est  
intentio.

Quomodo beatis accenseam eos, respondit Ecclesiasticus, ingens in cælos emittens suspirium, maximo, ut videbatur, exulceratus cordis dolore! An beatos tu nuncupes eos, qui fecerunt se coram Dei judicio haud vulgaris reos criminis, mediante tam nefanda S. Evangelii profanatione, & animarum perditione, quarum ex officio tenebantur procurare salutem

zelo Apostolico? Et hoc est, quod nullatenus habuerunt cordi. Unus navavit operam suam avaritiæ, alter suam gulæ, tertius suam vanitati & arrogantiam. Et quod magis horrendum est, profiterunt Jesum Christum, & ipsius Evangelium, & prædicationis ministerium, quod sacratissimum & divinissimum est in Ecclesia Dei, ut infamibus hisce famularentur Dominis. Et me interrogas, an ipsos non credam esse beatos, cum suorum assecuti sint metam votorum? Non impares sunt falsis illis Prophetis, quos Deus suam percutit maledictione in Sacra Scriptura: *Vae Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum.* Ezech. 13. v. 3. Vae Prædicatoribus, qui non querunt gloriam Jesu Christi, nec salutem animarum; sed nonnisi sua aucupantur comoda, suas voluptates, suas vanitates, citra quod curam habeant gloriam Dei, & salutem animarum, modò teneant, quod desiderant, suumque jucundè tempus horasque terant.

Quando sua tibi deprædicaverunt lucra, unus suum argentum, alter suas epulas, tertius vanas suas laudes, debueras ipsos interrogare: Sed ubi sunt, quas Deo lucrati estis animas? ubi conversi à nobis peccatores? ubi lacrymæ, quas elicuistis? ubi confessiones generales? ubi

excim-

Arguuntur  
prædicatores,  
non quæren-  
tes salutem  
animarum.

exempla pœnitentiæ? ubi bona quæ exantlanda persuasistis, opera? ubi scandala, quæ avertistis? ubi errores, quos rescidistis? ubi reconciliationes, quas evicistis? ubi disceptationes, quas diremissetis? ubi pietatis exercitia, quæ induxistis? ubi est, unico verbo, bonum, quod promovistis in locis vestris? An igitur concesseratis illuc velut mercenarius diurnam suam facturus operam, ad comparandum argentum, aut velut voluptuosus ad exquirendum lautas dapes ac epulas, aut velut ambitiosus ad aucupandum vanum honoris fumum? Ah! Evangelium! sacrum Evangelium! Verbum æternum Dei, tecum luditur, ac si non esses nisi commentum, nisi fabula. Verum vindicare te noveris in æternum de iis, qui ita te habuerint despiciatui.

Prædicatores  
mali exempli  
non movent  
homines.

Si mundus non habuisset unquam alios Evangelistas, quam vos, quanto arctius obstrictus fuisset servitute diaboli: siquidem vos nunquam instituissetis ipsum in doctrina Jesu Christi, sed potius dissuasissetis hanc ipsi. Ipse docet contemptum divitiarum, & vos vestro monstratis ipsi exemplo, avarus ut sit, suisque studeat commodis: Ipse docet pœnitentiam & austeritatem, & vos vestris monstratis ipsi operibus, voluptatibus ut indulgeat, etiam sacro quadra-

gesimæ tempore, quod totum consecratum est tum lacrymis, tum jejuniis: vos ducitis quadragesimam non minus quam Bacchanalia jucundam & acceptam sentibus: Et Deus novit, an hic non fuerit scopus, quod collimastis, dum functioni vos quadragesimali intrusistis. Nonne hoc sit indignè obire munus & ministerium Apostoli? Jesus Christus non docet nisi humilitatem, contemptum mundi, & sui ipsius: Et vos exercere non abhorretis annuntiationem Evangelii, vestra ut satisfaciatis vanitati. Nonne verum est, non quærere vos, ut lacrymas eliciatis ex oculis, sed vanam extorqueatis laudem ex audientium labiis? Nonne verum est, non ita vos insudare promovendæ, & amplificandæ gloriæ Christi Jesu, sicuti extollere studetis gloriam vestram; vosque credere, tunc omnia successisse optimè, quando applausum obtinistis & fumum vanæ gloriæ, quando etiam conspiceret non licuisset conversionem vel unicam, aut fructum animarum vel minimum, totâ labente quadragesimâ! ô indignos tam sublimi vos munere!

Optimè profectò scripsit sanctus Hieronymus ad Nepotianum turpissimum esse Doctorem, si opera ipsius confundant & arguant mendacii Doctrinam.

Hieron. Epist.  
2. ad Nepotianum.

Rrrr

Verba

Verba ipsius sunt: *Non confundant opera tua sermonem tuum; ne, cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat, cur ergo hac, quæ dicis, ipse non facis? Delicatus Magister est, qui pleno ventre de jeuniis disputat: accusare avaritiam & latro potest: sacerdotis Christi os, mens manusque concordent, plus creditur oculis, quam auribus, & dum mundus videt, te aliâ ratione dicere, & aliâ agere, contemnit facile, quod dicis, & amplectitur id, quod agis.* Sanctus Gregorius Nazianzenus dicebat de intimo amico suo, sancto Basilio, sermonem ipsius fuisse fulmen, eò quod fuerit fulgur ipsius vita. Quando Iesus Christus prædicabat, nunquam non, quod dicebat, confirmabat miraculis, & magis movebatur mundus magisque credebatur miraculis, quam cunctis, quæ dicebat, verbis. Omnes Apostoli in hoc presserunt vestigia divini Magistri sui, similiter magna patran-tes miracula, ad confirmandum eam, quam exponebant, doctrinam: Sed quia modò miraculorum tempus non est amplius, nonnè saltem Prædicatorum Evangelicorum vita ratione quandam esse debeat miraculosa, id est, ita transcendens vulgi vitam, ut omnia ipsius opera velut parva haberi possint miracula, videaturque in factis ipsorum evulgere sanctitas, quam edoce-

Vita concionatoris debet esse fulgur, ut ipsius sermo possit esse fulmen.

re contendunt alios: aliàs quomodò verum erit, ipsos esse lucem mundi.

An ignoras, IESUM Christum dixisse Prædicatoribus suis: *Inprimis quòd sint Sal terra; & deinde, quòd sint Lux mundi.* Sal tribuit saporem rebus magis insipidis, quæ significantur per terram; & lenocinatur gustui, & lux oblectat oculos; ad inveniendum illis, quòd prius præbere se debeant gustandos; & postea modò auscultandos; faciunt autem gustari se per vitam, quam exercent sanctitatem; & auscultari, per doctrinam, quam tradunt veritatem. Qui docet virtutem, quam ipsemet exercet, offert ferculum tam benè conditum, ut facile recipiatur & voluptate afficiat cunctos, eò quòd duas simul possideant prærogativas, quæ Oratorem quasi reddunt omnipotentem, actionem nimirum & vocem, exemplum & doctrinam. Certum est, efficaciora ad persuadendum esse exempla, quam verba. Qui docet bonum, & facit malum, non docet alios, sed condemnat seipsum: Melius est exercere bonum, quin doceatur verbo, quam verbo docere, absque eo quòd exerceatur opere. Bonum enim exemplum sine verbo, semper concio est efficacissima, quæ instruit, quæ convincit, quæ ædificat omnes; pro  
co,

Matth. 5. v. 13  
& v. 14.

Veri Prædicatores debent esse sal terra & lux mundi quomodò.

eo, quod verba absque bono exemplo, non nisi scandala pariant proximo.

Non tantæ fueram prudentiæ, dicit Onesimus, ut hæc ponerem ipsis ob oculos; nolebam insuper parere ipsis molestiam discursu tam serio, probè gnarus, ipsos ad relaxandum animum convenisse illis, neque conveniens erat ipsorum me turbare gaudium. Non intermisi tamen recensere illis historiam satis festivam, quam legeram in sancto Antonino, quæque haud leviter tangebatur illos. Narrat is, quod celeberrimus ille F. Aegidius, quem inter suos socios adoptaverat S. Franciscus, audivit aliquando Dominum cuiusdam vineæ, quæ proxima erat parvo cœnobio, ubi morabatur, operarios, quos ad colendum vineam miserat, & tempus confabulando inutiliter perdere invenerat, objurgantem, iisque dicentem, *Fate, fate, & non parlate*; id est, operamini, operamini, & verba facessant; non labia, sed brachia movenda sunt, ut ritè colatur vinea; parum sermonis, multum impendatur operis. Ex quo hic vir Dei, qui ex omnibus desumebat ansam elevandi se ad Deum, cum ingenti fervore è cellâ suâ prorumpens clamavit altâ voce: Audite vos concionatores, audite pulchram lectionem, quam sug-

gerit vobis hic Dominus vineæ: Operamini, operamini, non colitur vinea Domini dicendo, sed agendo; magis brachia movenda sunt quam labia; non tam verba scita, quam bona requiritur vita. An speretis, vos magnum facturos profectum in colendo vineam Domini, quò ille vos mittit veluti suos operarios, quando multa feceritis verba? Operamini, operamini, movete & admovete manus, exercete, quod docetis, primùm opere: Bona exempla valore excellunt longè pulchra verba. Memores estote, ficum, quæ non nisi folia habebat, aut nullum fructum, maledictam fuisse à nostro Domino.

O quàm commodè dicebas hoc illis, reponit Ecclesiasticus: sic enim conqueritur Dominus noster in Evangelio, quod *messie quidem multi, operarii autem pauci*. Ita, valdè pauci operarii, multi Sacerdotes, multi Doctores, multi Scriptores; omnes se illis volunt ingerere; multi Oratores, multi Declamatores, omnia his sunt plena, ita ut invicem certent, quis præ alio habiturus sit pulpitem. Sed quàm pauci operarii fideles, qui garrindo non perdant tempus, & inutiliter non detineant vanis suis sermonibus auditores; sed qui cunctis nitantur viribus ædificare, dilatare gloriam Dei, eradicare vitia,

Luc. 10;

pauci sunt operarii in vinea divini nostri Domini.

Rrrr 2

plan-

S. Antonin, 3.  
p. hist. tit. 24.  
c. 7. §. 11.

Historia jucunda de F. Aegidio circa Vinitores.



plantare virtutes, bonos inferere affectus de Deo cordibus, sanctificare animas, impendendo hunc in finem cuncta possibilis media, bonam doctrinam, solidam, Christianam, claram & ferventem, bona exempla, preces, lacrymas, jejunia, austeritates, feliciores se æstimando, lucrari si possint pauperem Salvatori nostro animam, quam si ingens sibi ipsis comparassent imperium! *Operarii pauci.* Non absque dolore asserendum est, paucissimos numerari operarios dignos, qui laborent pro Domino, & non pro seipsis.

Quam ingens sit thesaurus convertere animam,

Sed bonorum quam magnifica erit retributio? O si quis nõisset, quanto sit dives thesauro Prædicator, qui duntaxat unicam lucratus fuerit animam Jesu Christo! siquidem cum verum sit juxta effatum sancti Evangelij, maximum fore cunctis Angelis in cælo gaudium super uno peccatore penitentiam agente; quanto sine comparatione majus credamus fore ex eo gaudium in amabilissimo corde Jesu Christi? Angeli gaudent de salute pauperis hujus animæ, quia amant ipsam; sed quid sit amor, quo ipsam omnes prosequuntur Angeli, respectu amoris, quo solus ipsam prosequitur Christus Jesus? Bone Deus! Si comprehendere possemus quousque extendat se in-

comprehensibilis hic amor deducere exin possemus maximi abundantiam gaudij, quã ipsum accumulamus, dum nostram impendimus operam, ut id, quod tam impense amat, acquiramus & comparemus ipsi; cæterorumque oblivisceremur omnium, omnem intendentes nervum invigilando indefessè saluti animarum.

Sancta Birgitta, famosa suis cum Christo colloquiis, interrogavit aliquando ipsum: Domine, quare à nobis nuncuparis vis charitas? non enim dicitur, quod Deus sit fides, vel spes; sed dicitur; Deus est Charitas. Respondit illi: Non sufficit, quod dicatur, me maximam habere erga peccatores charitatem; sed omnibus exploratum esse volo, me totum transformatum esse in charitatem pro ipsis. Ostendi ac demonstravi id in passione meâ, quando mortuus sum pro illis omnibus in cruce; sed adhuc æquè magnâ feror in ipsos charitate, sicut in articulo mortis meæ, quamvis non semper actualiter moriar pro illis: Et si fieri posset, ut toties morerer, quot sunt animæ in inferno, ego promptissimâ voluntate eandem passionem, pro qualibet animâ sustinerem, quam sustinui pro omnibus. Ecce tibi, quanto ardore diligam animas omnium infelicitum peccatorum.

Si

Si aliquis Prædicator intellexisset hoc ex ore proprio Jesu Christi, sicut intellexit ex ore sanctæ Birgittæ, & is insuper dixisset ipsi: Operare, operare, nulli parce labori, & satage, ut quantas mihi potueris, lucreris animas; an insudare adhuc vellet corradendo argento, aut comparando sibi amicos mensæ, aut vanas aucupando laudes? Verùm tam procul absumus, ut mereamur ejusmodi honorari revelationibus, ut etiam digni non simus, fidem adhibere illis, quas bonæ receperunt animæ, quæque sæpius non dantur nisi pro nobis, cum sint gratiæ gratis datæ, & constet ejusmodi gratias magis dari pro salute aliorum, quàm utilitate recipientium illas.

S. Antonin. 3. nino profundæ affectus reverentiæ, quos Deus insculpsit cordi sanctæ Mariæ Oegniacentis erga Concionatores, quos sancto succensos aspiciebat Zelo lucrandi Deo animas: reverebatur enim illos velut Seraphinos è cælo; & quia moderari non poterat lux impetum, & vehementiam devotionis, projeciebat se ad pedes illorum hosque, reluctantibus etiam illis, & terebat basiis, & rigabat lacrymis; Et quando video, quod sancta Catharina Senensis, cum indignam se crederet ipsorum

Quàm sublimem sit prædicationis munus.

exosculari pedes, se tæque quaterque existimaverit beatam, si figere posset oscula terræ, quam suis ipsi tetigerant pedibus: admirari satis non possum excellentiam ministerii, cui deputat Deus hominem, quem mittit mediante Prædicationis officio ad cooperandum saluti animarum. Itanè? sanctissimæ animæ sternantur ad ipsius pedes, quasi adoraturæ illum? Verùm totus extra me abripior, quando ipsummet Jesum Christum intueor prostratum ad pedes Apostolorum suorum, illosque adorandis suis lavantem manibus, abstergentem illos, collocantem ipsos super pectus suum, & versùs regionem cordis sui, cum ipse interim flexo poplite, velut supplicem illis porrigens libellum, hæreret ante eos, ipsi autem manerent coram eo sedentes velut super folia.

Insuper hosce pedes tam vult esse mundos, ut nec minimo contaminentur pulvisculo, id est, ut nec minima illis adhæreat macula, nec levissimum propriæ utilitatis studium; vult ipsos sui unitos esse cordi, id est, eodem suo animatos spiritu, eodem suo accensos zelo; vult ipsos in suis tenere manibus, id est, à solâ suâ dependere directione, ut faciat ex ipsis & cum ipsis, quidquid voluerit, probè gnarus, quòd, si manus DEI

Rrrr 3 non

us e, t.  
Christus  
at san-  
Birgit-  
uod pa-  
esset  
pro qua  
anima  
ata, si  
e ipsam  
erere.

Rom. 10.  
v. 15.

non fuerit cum ipsis, nihil prorsus poterint efficere. Et sanctus Paulus usque adeo admiratur pulchritudinem horum pedum, verorum nempe Prædicatorum & Evangelistarum, ut nonnisi cum exclamatione loquatur de illis: *Quàm speciosi pedes Evangelizantium!*

Sed sperabam, Domine, in-

terrumpit Onesimus, te mihi dicturum adhuc alia de Prædicatione Jesu Christi; hæc enim iudicio meo, præcipua Missionis ipsius fuit provincia. Verum est, inquit Ecclesiasticus; sed ut magis solidè de illâ tibi loquar, alia tota integra requiritur adhuc Consultatio.

## CONSULTATIO XXI.

*Continuatio ejusdem Materia: Jesus Christus est sola vera lux mundi: qui non videt per ipsum, cæcus est.*

**A**N grates vobis agam, Domini mei, an verò conquerar de vobis? haud levis mihi causa est, faciendi utrumque. His verbis avere nos iussit Onesimus, altero die, summo diluculo reversus ad nos. Quid boni præstitimus tibi, vel quo malo te affecimus, quod ansam tibi præbeat, vel grates nobis agendi, vel conquerendi de nobis? interrogat ipsum noster Ecclesiasticus. Totâ nocte non cessâstis mihi verba facere; propterea continua me tenuit inquietudo defixum, quæ obstabat, ne ad vestrum dormirem sermonem: siquidem nil perdere volebam ex

omni eo, quò dicebatis mihi; & tamen summò tenebar desiderio dormiendi quietè, & non poteram.

Adducebatis mihi loquentem Jesum Christum per omnes Prophetas, immò etiam per omnes creaturas à principio mundi, quando Verbum hoc pronuntiatum fuit super antiquum illud Chaos: *Fiat lux*. Videbatur is mihi esse ista lux, quæ se diffundebat ubique, & luci exponebat omnia: Et nihilominus nil videbam ego, nisi tenebras; & lux in tenebris lucebat, & tenebræ non comprehendebant ipsam. Et hæc omnia nonnisi confusionem pariebant in animo

meo,

Jesus Christus  
est lux mundi,  
lucens in tenebris mundi,